Quelle: http://manuscripta.at/?ID=25873
Copyright: Admont, Benediktinerstift

prevaricatur. ipsius conscientie inscribuntur.
per quam in fine vite sue de universis cogitati
onum verborum et operum excessibus redarguitur. Bel
lum inter asa et baasa cunctis diebus agitur. quia
vera scientia confusioni peccatorum semper obluc
tatur. SEQUITUR. ANNO tercio asa regis
iuda. regnavit baasa filius ahie. super omnem
israel in thersa. viginti quatuor annis. et fecit
malum coram domino. ambulavitque in via hiero
boam. et in peccatis eius quibus peccare fecit israel.
HIEROBOAM qui vitulos aureos formasse
scribitur. typum avaricie exequitur. que per
apostolum ydolorum servitus esse dicitur. Nadab qui spon
taneus dicitur. vane glorie specie obumbratur. quia
sponte primus homo involvitur. dum ad simi
litudinem divinitatis inaniter se extendere nititur.
Baasa que confusio vel siccitas interpretatur:
consequenter superbie imaginem imitatur. per quam
confusio totius peccati et siccitas mortis. in
humano genere propagatur. Baasa
super omnem israel in thersa regnat. quod placens
sonat. dum superbia spiritum anime et corpori.
hominis dominari cepit. qui ipse homo sibi potius
quam deo placere voluit. Baasa xx. iiii. annis
regnat. cum superbia ad extinctionem anime
et corporis. leticia. tristicia. timore. et cupidi
tate. vitam hominis obpugnat. Baasa malum
coram domino facit. quia de superbia omne pec
catum procedit. In via hieroboam ambulat. et
in peccatis eius quibus peccare israel fecit. quia sicut
superbia. sic avaricia hominem in mortem deicit.

Cap. XVI.

FACTUS est autem sermo SEQUITUR.
domini ad hieu filium anani contra baasa
dicens. Pro eo quod exaltavi te de pulvere et po
sui ducem super populum meum israel. tu autem ambu
lasti in via hieroboam. et peccare fecisti populum
meum israel. ut me irritares in peccatis eorum. ecce
ego demetam posteriora baasa et posteriora domus
eius. et faciam domum tuam sicut domum hieroboam
filii nabath. Qui mortuus fuerit de baasa
in civitate comedent eum canes. et qui
mortuus fuerit ex eo in regione comedent eum
volucres celi. Reliqua autem sermonum baa
sa et quecunque fecit et prelia eius. nonne
hec scripta sunt in libro verborum dierum regum
israel. Dormivit ergo baasa cum patribus suis et
sepultus est in thersa. et regnavit ela fi
lius eius pro eo. Cum autem in manu hieu filii
anani prophete. verbum domini factum esset. contra
baasa et contra domum eius. et contra omne
malum quod fecerat coram domino ad irritan
dum eum in operibus manuum suarum. ut fieret sicut
domus hieroboam. ob hanc causam occidit
eum. hoc est hieu filium anani prophetam.
HIEU ipse ut est interpretatur: per quem ser
mo prophetie figuratur. qui incommutabi
li veritatis statu solidatur. Hieu filius ana
ni scribitur. qui gratificatus mihi sive do
natus mihi dicitur. quia per spiritum sanctum sermo pro
phetie gratus deo et dei fidelibus donatur. Ser
mo domini ad hieu contra baasa dirigitur. quia
omnis prophetia contra superbiam et eius aucto
rem diabolum invehitur. Quasi ergo comminetur
deus homini primo per superbiam decepto.
Pro eo quod te de pulvere exaltavi. quia te de
limo terre plasmavi. Quia te ducem super
populum meum israel posui. quia te protoplastum
humani generis parentem et principem consti
tui. Tu autem in via hieroboam ambulasti.
quia superbiam diaboli imitando peccasti.
Quia enim hieroboam populum diiudicans inter
pretatur: recte per eum diabolus figuratur. cuius
malicia in extremo iudicio condempnatur.
Et peccare populum meum israel fecisti. dum omne
genus humanum originalis peccati vincu
lis inno[illegible]dasti. Ut me in peccatis
eorum [illegible] irritares. ut me quandoque
pro humani generis redemptione mori cogeres.